HIERONYMUS. BEDA VENERABILIS
Admont, 12. Jh. Seite 51v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tue. et ambu
la in uiis cordis tui. et in intuitu oculorum tuorum. et hoc
scito quia super omnibus his adducet te deus in iudicium.
et repelle iram a corde tuo et aufer malitiam a carne
tua. quia adolescentia et stultitia uanitas est apud te.
et memento creatoris tui in die iuuentutis tue ante
quam ueniat dies malicie et propinquent anni in quibus
dices. non est mihi in illis uoluptas. In hoc capitulo diuersa
omnium explanatio fit. et tot sententie pene quot
homines. Vnde quia longum est opinationes omnium
recensere et argumenta quibus sententias suas appro
bare uoluerunt explicare. et prope res unius uoluminis
est sufficiat significasse prudentibus quid senserint et qua
si in quadam breui tabella situs pinxisse terrarum totiusque
orbis uastitatem et ambitum oceani angusto monstrasse
compendio. Hebrei ad israel estimant pertinere mandatum
cui precipitur ut fruatur diuitiis suis ante quam ei capti
uitatis tempus adueniat. et adolescentiam senectute
commutet. et quicquid delectabile uel iocundum tam cordi
quam oculis apparuerit eo deum in promptu est abutatur:
ita tamen ut se nouerit in omnibus iudicandum et tam
cogitationes malas quam libidines fugiat sciens
stulticiam adolescentie copulatam. recordeturque semper
creatoris sui ante quam dies babylonie ac romane
captiuitatis adueniat in quibus habere non poterit uo
luptatem. et totum hunc locum ab eo quod ait. ante quam
tenebrescat sol. et luna. et stelle. usque ad eum locum in quo
scriptura commemorat. et spiritus reuertetur ad deum qui dedit
illum super statu sue conditionis explanant. Que quia vt